

A2 *Caesar's army has suffered a setback, but the soldiers should not be dejected.*

Caesar a superioribus consiliis depulsus omnem sibi commutandam belli rationem existimauit. itaque uno tempore praesidiis omnibus deductis et oppugnatione dimissa coactoque in unum locum exercitu contionem apud milites habuit hortatusque est, ne ea, quae accidissent, grauius ferrent neue his rebus terrentur multisque secundis proeliis unum aduersum et id mediocre opponerent. habendam fortunae gratiam, quod Italiam sine aliquo uulnere cepissent, quod duas Hispanias bellicosissimorum hominum peritissimis atque exercitatissimis ducibus pacauissent, quod finitimas frumentariasque prouincias in potestatem rede-gissent; denique recordari debere, qua felicitate inter medias hostium classes oppletis non solum portibus, sed etiam litoribus omnes incolumes essent transportati. si non omnia caderent secunda, fortunam esse industria subleuandam. quod esset acceptum detrimenti, cuiusuis potius quam suae culpa-e debere tribui. locum se aequum ad dimicandum dedisse, potitum esse hostium castris, expulisse ac superasse pugnantes. sed siue ipsorum perturbatio siue error aliquis siue etiam fortuna partam iam praesentemque uictoriam interpellauisset, dandam omnibus operam, ut acceptum incommodum uirtute sarciretur.

CAESAR *Bellum Civile* 3.73

sarcio: mend or make good

[TURN OVER